

Bryn Mawr College

Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special
Collections, Digitized Books

1826

De Clade Romanorum in silva Litana: Ad illustrandum Cic. locum in Tuscc. dispp. I, 36

Friedrich Lindemann

Follow this and additional works at: <https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>

[Let us know how access to this document benefits you.](#)

Citation

Lindemann, Friedrich. 1826. De Clade Romanorum in silva Litana:Ad illustrandum Cic. locum in Tuscc. dispp. I, 36. Zittaviae.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College.
<https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/129>

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

MEMORIAM
MELCH. CASPAR. WINKLERI

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI

A. D. XVIII. OCTOBR. CIOIOCCCXXVI.

QUI EST DIES MERCURII

INDE AB HORA IX. AUDITA

PIE CELEBRANDAM

INDIXIT

FRIDERICUS LINDEMANN,

DIR. GYM.

ZITTAVIAE LITTERIS SEYFERTI
CIOIOCCCXXVI.

S

De clade Romanorum in silva Litana.

Ad illustrandum Cic. locum in Tuscc. Dispp. I, 36.

Legitur apud Ciceronem in libro Tusculanarum disputationum primo cap. XXXVII. locus, ubi *Albinus* quidam adversus Latinos occidisse dicitur. Locus ita habet: *Quoties non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus, ad non dubiam mortem concurrerunt? Quae quidem si timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in proelio concidisset; non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos, se hostium telis obiecissent; non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paullum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum.* De reliquis omnibus satis constat. Sed quis ille *Albinus*, quem *Latini* cadentem videntur? Nemo quisquam interpretum quicquam monuit, ut res satis nota omnibus fuisse videatur. Equidem non diffiteor ignorantiam, et quum nuper hunc locum auditoribus meis exponerem, diu quaerens omnia historicorum volumina revolve excussique, ut, qui fuerit ille *Albinus*, rescirem.

Unus *A. Postumius*, cuius gentis cognomen *Albinorum* postea fuit peculiare, adversus Latinos dictator exercitum duxisse memoriae proditur in nobili illa ad lacum Regillum pugna, qua Tarquiniorum opes ad incitas redactae sunt. Sed idem etsi in illo proelio ab ipso Tarquinio Superbo, rege Romanorum expulso, infestis petitus esse armis fertur; etsi postea aliquoties in eodem proelio fortissimus fuit et rem prosperrime gessit: non occubuit tamen, sed post pugnam una cum magistro equitum triumphans in urbem rediit. Cf. Livius II, 19. 20. Dionys. Halic. VI, 2. Hic igitur *Albinus* non in Latinis cecidit, sed tantum adversus eos pugnavit; rem conficit omnemque dubitationem tollit, quod hic *A. Postumius*, *Albus* cognominatur in Fastis Almelveenii.

Praeter hunc nemo alius *Albinus*, quod sciam, adversus Latinos pugnasse traditur. Neque quicquam in omni Romanarum rerum memoria invenitur, quod eo nos ducat, unde Ciceronem illum suum *Albinum* in Latinis cadentem sumpsisse appareat. Igitur vix est dubium, quin verba apud Ciceronem sint emendanda. Et videtur facilis parata esse medicina. Nam *Albinus* haud dubie appellabatur is *Lucius Postumius*, quem anno DXXXVI. U. C. praetorem et consulem designatum in *silva Litana* adversus Gallos caesum esse memoriae proditum est. Res narratur a Livio XXIII, 24. Tangitur a Polybio III, 118. Meminit eius Frontin. Strat. I, 6.

Post pugnam Cannensem, quum Hannibal, Roma praeterita, in inferiorem Italiam abiisset, Campanos in dicionem accepisset; Nuceria, Casilino, Acerris captis, rebusque in Sicilia et Sardinia male gestis, aliam super aliam cladem fortuna in Romanos cumulare videbatur,

Tum *L. Postumius* praetor Galliam Cisalpinam provinciam obtinebat. Dictator *M. Fabius Buteo* ab exercitu in urbem accitus comitia indixit, quibus *Postumius* et *Gracchus*, qui magister equitum erat, COSS. creati sunt. Quum ea res maxime ageretur, *L. Postumius* in Gallia cum exercitu deletus est.

„Silva erat vasta, (Galli *Litanam* vocabant) qua exercitum traducturus erat praetor. Eius silvae dextra laevaue circa viam arbores ita inciderant Galli, ut immotae starent, ictu levi impulsae occiderent. Legiones duas Romanas habebat Postumius; sociumque ab supero mari tantum conscripserat, ut viginti quinque millia armatorum in agros hostium induxerit. Galli oram extremae silvae quum circumsedissent, ubi intravit agmen saltum, tum extremas arborum succisarum impellunt. Quae alia in aliam instabilem per se et male haerentem incidentes, ancipiti strage arma viros, equos, obruerunt, ut vix decem homines effugerent. Nam quum exanimati plerique essent arborum truncis fragmentisque ramorum, ceteram quoque multitudinem inopinato malo trepidam Galli, saltum omnem armati circumsedentes, interfecerunt; paucis e tanto numero captis, qui fluminis pontem petentes, obsessum ante ab hostibus, interclusi sunt.“

„Ibi Postumius, omni vi, ne caperetur, dimicans occubuit.“

„Spolia corporis caputque ducis praecisum Boii ovantes templo, quod sanctissimum est apud eos, intulere. Purgato inde capite, ut mos iis est, calvam auro caelavere. Idque sacrum vas iis erat, quo solenibus libarent, poculumque idem sacerdoti esse (ei quicumque cum maxime sacra fecisset) et templi antistitibus.“

„Hac nunciata clade per dies multos in tanto pavore fuit civitas, ut, tabernis clausis velut nocturna solitudine per urbem, senatus aedilibus negotium daret, ut urbem circumirent apeririue tabernas et moestitiae publicae speciem urbi demi iuberent.“

Haec Livii verbis exposuimus. Polybius paucissima tantum. *Καὶ γὰρ ὡς περ ἐπιμετρούσης καὶ συνεπαγωνιζομένης τοῖς γεγονόσι τῆς τύχης, συνέβη μετ' ὀλίγας ἡμέρας, τοῦ φόβου κατέχοντος τὴν πόλιν, τὸν εἰς τὴν Γαλατῶν στρατηγὸν ἀποσταλέντα εἰς ἐνέδραν ἐπιπεσόντα παραδόξως, ἄρθην ὑπὸ τῶν Κελτῶν διαφραθῆναι μετὰ τῆς δυνάμεως.*

Frontinus Livium exscripsit. „Boii in silva Litana, qua transiturus erat noster exercitus, succiderant arbores, ita ut ex parte exigua

sustentatae starent, donec impellerentur. Delituerant deinde ad extremas. Ipsi ubi, ingresso silvam hoste, proximas ultiores impulerunt, eo modo propagata pariter supra Romanos ruina, magnam manum eliserunt.“

Jam in re ipsa nihil obscuritatis. Lucius Postumius praetor in insidias imprudens illapsus cum exercitu periclitatur, exercitus deletur, ipse pugnans occumbit. Structae erant insidiae in saltu, quem *Litanam* vocabant Boii; nam ea gens Gallorum fuit, quacum pugnatum est. Pauci, qui periculum evasissent, pontem vicini fluminis petierunt. Sed Boii pontem antea obsederant. Igitur etiam hi pauci capti sunt. Inter quos quum esset praetor, mortem is captivitati praeferens, dimicando cecidit. Silva *Litana* Postumium cadentem pro patria vidit.

Quid igitur si apud Ciceronem l. c. legamus: *Paullum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum, Litana Albinum, Lucani Gracchum? Litana pro Latinis*, vix una literula mutata. Ignorabant librarii nomen incognitum et inusitatum *Litanae*; neque enim factum ipsum multam apud posteros famam invenit, quippe quod tam paucis scriptoribus sit memoratum, quamquam minime obscurum; neque locus admodum celebratus est, ita ut nemo scriptorum Geographicorum eius meminerit, et hodie, ubi fuerit silva ista, quem ambitum habuerit, plane ignoretur, ac ne coniecturae quidem locus relinquatur.

Suadet hanc emendationem etiam rerum a Cicerone commemoratarum iunctura. *Cannis et Venusiae* adiunxit *Litanam* et *Lucanos*, postquam Scipiones in *Hispania* cecidisse dixerat. Licet enim ordinem temporis non plane servarit; tamen ulteriora ista omnia mortis pro patria obitae exempla ex belli Punici secundi temporibus repetita esse apparet. Ad Cannos pugnatum anno U. C. DXXXVIII. In silva *Litana* periit Postumius anno U. C. DXXXIX. Scipiones in *Hispania* deleti sunt anno U. C. DXLI. In *Lucanis* per proditionem cecidit Ti. Sempronius Gracchus eodem anno. M. Claudius Marcellus ad Venu-

siam in insidias Poenorum delapsus occubuit anno U. C. DXLVI. Quae omnia satis docent, voluisse Ciceronem ex secundi belli Punici tempore factum aliquod commemorare, quod aliud nullum fuisse potest, quam clades in silva *Litana*.

Accedit aliud. In Frontini Strategem. I. 6. ubi clades illa ex Boiorum strategemate enata paucis exponitur, lectio variat legiturque pro *Litana* in libris aliquot *Latina*. Ex quo patet, librarios, quippe quibus nomen silvae *Litanae* inauditum, ubique usitatus illud et magis notum substituisse, quanquam apud Livium nihil variae scripturae annotatum est.

Unum superest, quod dubitationem movere possit, *Albini* cognomen. Sed res nota est eamque quavis fere Livii pagella docemur, genti Postumiorum peculiare fuisse *Albini* cognomen. Praeterea Fasti consulares a *Theodoro Jansonio ab Almelooven* collecti ad tres huius L. Postumii annos, qui fuere A. U. C. DXX, DXXV, DXXXIX, cognomen *Albini* addunt. Dictus est etiam ille *Albinus*, qui anno U. C. DLXVIII cum Quinto Marcio Philippo COS. fuit, Sp. Postumius; Cf. Liv. XXXVIII, 6.; fuitque e Postumiorum gente Sp. *Albinus* is, qui anno U. C. DCXLIV Consul adversus Jugurtham militavit, de proditione suspectus; Cf. Sallust. Jug. c. 26. Flor. III. 1. Itemque multi alii Postumii cognomen *Albini* habuerunt, quod facile intelliges ex Almeloovenii Fastis pag. 194. seqq. sub voce *Albinus*.

Addam postremo meam de scriptura et pronuntiatione huius nominis sententiam. Mannertus in Geogr. Graec. et Rom. tom IX, part. I, p. 233. scripsit *Litania* silva, eandemque scripturam in indice repetit. Unde eam hauserit, nescio, nam libri quidem omnes Livii, et Frontini meliores, *Litana* exhibent. Neque puto ego, *Litana* vocem esse nomen adjectivum, quod ex Livii certe verbis non apparet; cuius verba in parenthesi posita: *Litanam Galli vocabant*, substantivum admittunt. Comparo autem nomen hoc cum aliis Celticis vocabulis, ut *Sequăna*, *Matrōna*,

Mutina, Axona, Eblana, Saena, et eiusmodi pluribus; unde etiam penultimam in *Litana* corripendam censeo.

Restat, ut significem, cuius rei caussa haec a me in lucem prolata sint. Est enim a me oratione celebranda memoria *Melchioris Casparis Winkleri*, viri illustris, olim Dynastae in Ullersdorf et Sommerau; habebiturque ea oratio, in qua *Joannis Casparis Friderici Mansonis*, nuper defuncti, vitam breviter enarrabo, a. d. XVIII. Octobr. qui est dies Mercurii. Ad quam orationem benivole audiendam Patres Civitatis Amplissimos, Sacrorum Ministros Plurimum Reverendos, Collegas amicissimos, et omnes, quibus res nostrae curae sunt, ea qua par est humanitate velim invitatos.

P. P. in Gymnasio Zittaviensi Dom. XXI. p. Tr. CXCICCCXXVI.